

liberatrici commendans. ultimum huius uitę diem in ipso quo uiderat uisionem loco feliciter compleuit. Beatoque sine prestante domino ad eternam gloriam transmigravit &c. Aliter Impressa, quae, qui uolet, conferet.

II. fol. 13. *Incipit Ammonitio Venerabilis Bede Presbyteri De Laude Caritatis. Et Quomodo Cunctis Virtutibus Preferenda Sit. Initium: Tue non immemor petitionis. hanc commonitiunculam pro anime tue profectu. o karissima mater tibi ut rogasti scribere studui &c. Indignationem saepe mouet Librariorum medię aevi sive ignorantia, sive fraus, qua magnorum Virorum nomina Libellis proletariis liberaliter adleuere. Ita qui hic Bedam praefert, Cod. CCXL. Augustinum mentitur. Ad Adelherum quendam τῆς Ουτοπίας Episcopum referri ibi dixi in Cod. Tegernseensi. Index Capitum XV. in praesenti Exemplo nullus, sed in fine haec addita legas: *Obsecro te o carissima soror et domina per illum qui te creauit ut creberrime pro me exorans dicas. deus omnipotens miserere famulo illi. Explicit.* Atque haec Codex CCXL. non agnoscit.*

DLVII.

331 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 61. f. non eadem manu, commode tamen exaratus sequentia complectitur: I. Prolixam *Epistolam* ad vitam recte instituendam hortatoriam e *Germania*, ut uidetur, scriptam

Sacerdotibus *Italıs*; ita enim insignitur: *Dilectissimis filiis in christo alpinis ausonicisque partibus degentibus. mare presidentibus. Omnique decoris stemmate predictis Citra danubii fluuenta latitans, inter (in) sclauorum montibus et abietum densitudine cubans non sicomoros sed fagos uellicans Noricus italicis blaucidius nigerrimis iob laetis senex iuuenibus Christicolis et celibes (coelites?) polumque efficaci uolatu penetrantibus. ranicula locis humentibus garriens siue luscinia pippans. Idioma (te?) carens tenentibus idioma. Volatiles (Volatilibus) terrigena. Extorris indigenis suis licet tetrıs in domino dominorum paciferam ac permanentem sempiternamque salutem. Initium Epistolae depromptum est ex *Epistola VIII. Hieronymi ad Niceam: Comicus Turpilius tractans &c. Edit. Veron. Opp. T. I. p. 20. usque ad ea uerba: Ecce beatus Chromatius. Dein prosequitur suis uerbis Noster: Namque sepius apices cartarum etiam in neophitis amoris magnitudinem inter nec non (nec non in?) quibusdam perfectis exprimere nituntur. Quatenus oculis legatur in syllabis quod cerni minime ualet in mentibus. Ideo uestrae mellisugę memor karissimi germanitatis. Hanc scedulam uobis in commune direxi ut cognoscatis quantam pro uobis habeam sollicitudinem. quam nec terrarum longinquitas nec rubigo obliuionis inter (in) palatio (ita lego pro interpolatio, quod sensum non habet, et Scribae uitio inter pro*
in*

in jam tertium recurrente) nec diuturnitas temporum abolere ualuit. Quo minus admoneam quos magis diligam. Sequuntur itaque Monita de Contemptu rerum terrenarum, de Lectione et Meditatione Scripturarum, de vera Sapientia, de Officiis Sacerdotum et Praelatorum, de Dei et Animae cognitione et de quatuor Virtutibus, quas *Cardinales* adpellant, *Augustino* et *Isidoro* in testimonium vocatis. Tandem sic concluditur Epistola: *Heu pro dolor quod de mysterio crucis nonnulla prelibare gestiens sed uolatilis epi epistola* (legendumne *episcopi epistola*? an vocem *epistola* bis exorsus est *Librarius*?) *exire compulit. Nunc rogo ut diligenter et morose relegatis quod cita occupatio nec incorrecta perfectio auulsit. Noli hinc recedere fili usque dum inchoatum opus peragas quia ualde nunc surgere indigent qui tam longo tempore additi et prostrati sub infructuosa uite fuerunt. Ualete uernantes. florete pollentes. uigete letantes. gaudete felices filii mei et fratres karissimi ac desiderantissimi. amen.* Ut de anonyma hac Epistola sensum meum promam, ex dictis videor mihi colligere posse, eam a quodam *Alcuini* amico scriptam, qui aut *Carolus M.* an. 791. aut filium ejus *Pipinum* an. 796. ad *Belum* aduersus *Hunos* fuerit comitatus, atque is, ni fallor, *Arno* est primus *Juuauiensium* Archiepiscopus, quem *Alcuinus* in datis pluribus ad eum literis *Aquilam* (ab *Aar* germanico, *Arno*)

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

Transalpinam, per Alpes uolantem, per campos currentem &c. adpellat.

II. fol. 6. absque Inscriptio-
ne ulla Tractatus ille, quem inter *Alcuini* dubia T. II. P. V. p. 418. edidit *Cell. Frobenius S. Emmerami* Abbas titulo *Disputationis Puerorum per Interrogationes et Responiones*. Adi ejus *Monitum praeuium*, cujus rationes pro *Alcuino* militantes *Codex* noster confirmat. Incipit ille, ut ibi, ἀκεφαλως: *Et quia humana fragilitas nec audet nec potest &c.* In Cap. IV. de decem Dei nominibus sub initium hiatus, qui est, e *Nostro* subpletur ita: *deus uocetur. qui est spiritus omnium spirituum?* R. *In scripturis etenim sacris.* In Cap. VIII. de *Nouo Testamento* *Noster* omittit omnia, quae in *Editis* de *Auctoribus* novi *Testamenti* leguntur ab iis uerbis: *Actus Apostolorum et Apocalipsis*, usque ad ea: *Preter haec alia uolumina apocrypha nuncupantur*, et iterum ab his uerbis: *nulla est in eis canonica auctoritas*, usque ad finem. Neque C. X. de *Missa* nobis integrum est, et C. XI. de *Fide* his uerbis deficit: *quem galatides sibi pro signo constituerunt.* Lectio ceterum proba est, et quamuis quaedam desint, quae in *Editis* habentur, tamen etiam in his desideratur expositio *Communions Sanctorum*, quae in *Nostro* sic sonat: *Id est, ut cum illis sanctis qui in hac quam suscepimus fide de presenti seculo ad deum migrauerunt societatem et spei communionemque habere credamus.*

M m m

credamus.

credamus. si tamen recte uiuendo fidem illam teneamus et operibus impleamus.

III. fol. 24. p. 2. absque In-
scriptione *Alcuini ad Carolum M.*
Epistola de ratione adpellationis
Dominicae *Septuagesimae, Sexage-
simae et Quinquagesimae* ante
Pascha. Habetur edit. *supracit.*
T. I. P. I. p. 85. ordine LXV.
incipitque: *Benedictus sit Deus
Pater Omnipotens qui te creauit*
&c. Lectio plerumque in Editis
castigatior, praeplacet tamen in
Nostro v. g. mox sub principium:
saporabile auribus pro favoreabile,
quod manu paullo recentiore ad-
jectum est, et mox pro *flaccidis*
auribus ab *Alcuini* praenomine
ductum *flaccinis*, quod quidem
egregie divinasse in *marginē* vi-
deo Cels. Editorem. Haec por-
ro *Epistola*, cum certe *Alcuini*
sit, licet nomen non praeferat,
non leui argumento est, praee-
dentem etiam *κατηχησιον* ad illum
referri debere.

IV. fol. 26. *Hraban. Isanber-
to.* Exponitur illud I. Reg. C. 2.
v. 15. *Si peccaverit vir in virum,
placari ei potest deus* &c. hoc ini-
tio: *Non igitur eo modo in ui-
rum. quo in deum peccatur* &c.
In deum peccare Rabano hic est
ab eius cultu *discedere*, adeoque
impietatis peccatum difficiliorque
remissio. Constat *Rabanum* pro fa-
ma doctrinae, qua florebat egre-
gius hic *Alcuini* discipulus, pas-
sim consultum fuisse, et speci-
men *Responsorum* ejus, quae in
Operibus editis frustra quaeras,
dedimus *Cod. CCLXXXIII.*

V. fol. eod. p. 2. *Karolus gra-
tia dei rex francorum. Dilectissi-
mo magistro albino in domino salu-
tem.* Respondet Princeps, *Sophi-
starum*, qui nil nisi *Titum,*
Trajanum, et *Antoninos* crepare
norunt, pace dixero, maximus
superiori *Alcuini* Epistolae, ar-
gumentumque, quod ille orfus
erat, pertexit. Initium: *Perue-
nit ad nos epistola a religione pru-
dentis uestrae* &c. Extat illa ple-
nior edit. *supracit. Opp. Alcuini*
T. I. P. I. p. 88. ordine LXVI.
Finem tamen ejus, qui a *Pari-
sina Andr. Quercetani* edit. p.
1147. abest, Codex noster pari-
ter agnoscit.

VI. fol. 27. Subnexa est bre-
vis Enumeratio *Autorum Symbo-
li Apostolici* ex ea persuasione,
quod singuli Apostoli singulos
condiderint *Articulos.* Initium:
Igitur quod superius omisimus
quinam symbuli essent auctores
nunc necesse est explicemus &c.
Pertinet itaque ad indicatam N.
II. *Disputationem Puerorum*; bre-
vior tamen multo est, ac in edi-
tis I. *supracit.*

VII. fol. eod. p. 2. sub sola
voce *Gregorius* Locus prolixus,
sed excerptus tantum ex *Homi-
lia IX. L. I. in Ezechielem,* qui
in edit. *Opp. Maur. Paris. 1705.*
habetur T. I. col. 1254. et in-
cipit: *Ezechiel itaque qui non so-
lum populo sed etiam senioribus*
loqui mittebatur &c. finitque: *li-
centiam male agendi prestant.*

VIII. fol. 28. p. 2. Locus
prolixus et integer *de quatuor di-
ligendis,* scilicet Deo, Seipso,
Corpore

Corpore suo et Proximo. Caret titulo, sed in *Augustini L. I. de Doctrina Christ.* Edit. Maur. Paris. T. III. P. 1. col. 11. inuenies. Incipit: *Quisquis ergo recte diligit proximum &c.* Finit: *colligatius adberere potuerit*, estque eleganti cumprimis manu exaratus.

IX. fol. 30. Incipit *Ammonitio Cesarii Episcopi De Pernitiosa Familiaritate Seu Conseruanda Uirginitate.* In *Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 862. inscribitur: *Epistola ad quosdam Germanos*; T. vero XXVII. p. 348. ex *Append. Cod. Regular. Lucae Holstenii* melius Exemplar naeti rursus producitur hoc rubro: *Caesariae sanctae Sorori Abbatissae* (Coenobii Arelate a Caesario circa an. 512. perfecti) *vel omnium congregationum suarum in Christo aeternam salutem.* Itaque pronum est, ut imperitus aliquis Librarius ex hac Sorore sive Germana superiore illum Titulum *ad Germanos* effingeret. Sed et in Codice nostro ad *Viros* directa est; incipit enim: *Uenerabiles in christo filii (Filiae) uereor ne dum uobis pro conseruanda quiete uel pudicitia &c.* Hiatus ille, cui in editione T. VIII. absone adtexta est Pars *Sermonis de decem Uirginibus* p. 865. quique in edit. T. XXVII. p. 550. rite expletus est, a Nostro pariter abest, sed inter verba: *a uobis semper excludite* et: *Currite fideliter &c.* inepte nobis intruditur plus quam 17. linear. locus de expoliatione Monachorum hoc initio: *Nam*

Monachus qui in monasterio peculiarem (peculium?) habere uoluerit &c. et hoc fine: *nos intrare in regnum dei.* Atque haec lacinia fortassis scribis ansam dederit, genus femininum in masculinum convertendi. Ceterum Codicem hunc ob lectionis varietatem non praetereat, qui vota Eruditorum de habendo integro et sincero *Caesario* olim impleturus est.

X. fol. 33. p. 2. *Albinus Aquile Salutem.* *Aquila* hic, ut jam supra N. I. notavi, *Arno* est primus *Salisburgensium* Archiepiscopus evangelica per *Pannoniam* praedicatione celebrer, gente *Saxo*, aut *Bojus*, non *Anglus*, atque adeo nec *Alcuini*, ut quibusdam visum, frater. Epistolam hanc *de Natura et Personis Diuinis*, quae inchoat: *Miror quomodo me sub unius momenti &c.* ex hoc ipso Codice a Viro doctae in paucis solertiae *Matthiae Rieberero* olim S. J. erutam inter *Alcuinianas* ordine CXXII. fecit Cell. Frobenius edit. *suprac.* p. 176.

XI. fol. 34. Excerpta varia ex diversis Patrum, praecipue *Augustini* et *Gregorii M.* Operibus, quae cum et brevia sint, et ut plurimum ἀνεπιγραφα, singulis speciatim adsignandis tempus infumere nolimus. Lectionem interim variam si quis cum editis contendere ea vellet, non deforme putamus.

XII. fol. 59. Epistola *Anonymi* ad *Anonymum* sequentis tenoris: *Humanę referunt littere. philosophum*

Isophum quendam adulescentulo cuidam quem presentem occultabat causa silentii tali uoce profatum; adulescens loquere ut sciamus te; ostendere uolens. ex sermonibus probari hominem et tamdiu unumquemq. quamdiu in silentio fuerit ignorari. Postquam dein ostendisset, Salomonem multo ante idem sensisse et dixisse, pergit: *Huius igitur definitionis ueritatem ego iam retro quidem credens nunc me tamen probasse confiteor qui honorificentiam tuam diu ignoratam habui. Sed postquam te licet parum loquentem audiui. Inuisibilis mihi somnus (certe sonus) prodidit. quem uisibilis diu corporis uultus absconderat. quamquam et cultor tuus sanctus martyrius olim paruitati meae religionis tuae pre-conia dixerit. sed difficile humana natura ita alteri credit ut sibi; ergo quoniam quod aliquamdiu audieram per me ipse cognoui. illius te esse christianitatis atque prudentiae. ut ueritatis rationem non aspernanter accipias; Nolo te errare cum ceteris. qui ex hoc arbitrantur se inpune peccare. qui (quia) ignorantiam habeant diuine uoluntatis &c. Contra hanc deinceps ignorantiam solide disputatur, aliaque hominis Christiani officia commendantur, maxime illud: *Quaecumq. uobis fieri non uultis. alio ne feceritis.* Clauditur: *Hec interim honorificentiae tuae ut epistole breuitas passa est credidi scribenda. Cupiens sanctitati tuae presens loqui et de quibuscumque fueris consulere dignatus. te reddere certiore. Opto**

te semper deo uiuere. et perpetui consolatus bonore gaudere. Hominem Deo dicatum, puta Episcopum, ad Virum in dignitate profana constitutum scribere, extra dubium est; verum excussis non obiter usque ad *Sec. VI.* medium, quod vix excedit Autor, *Ἐπιστολογραφίαις*, nil certi reperi, nisi quod *Martyrium* in *Epistolis Symmachi* bis nominari video. At plures hoc nomine fuere. Itaque oculatiori lampada trado.

DLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. 726 XIII. Folior. 158. 4. luculente exaratus, rubricisque distinctus continet: I. *Hugonis a S. Victore Can. Reg. Paris.* anno 1140. vivis exempti Opus, quod hic inscribitur: *Hugo de archa noe pro archa sapientiae cum archa ecclesiae et archa matris gratiae*, constatque V. *Libris*, ut videre est in *Edit. Opp. Rothomag. T. II. 1648.* a p. 286. a qua tamen notandae sunt praesentis *Cod.* discrepantiae. *Liber de Arca Noe*, qui in *Edit.* ceteris IV. praeponitur, in *Codice V.* est et ultimus. *Codex* igitur a L. II. ita auspiciatur: *Cum sederem aliquando in conuentu fratrum &c. Ex huius Libri Cap. 2. adscribam, quae Titulum Operi supra praefixum illustrant: Prima (Arca) est quam fecit noe. securibus et dolabris. ex materia lignorum et bitumine. Secunda est quam fecit christus per predicatorum suos. ex collectione populorum. in una fidei confessione.*